



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

LX. Quale commonitorium acceperunt legati contra Donatistas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

HAEC SYNODVS ADVERSVS
Donatistas legationem ad principes dirigit.

De hoc Cō-
 cilio vide
 notas Con-
 cilio Africa-
 ni II. sub
 Innocentio
 supra.
 Cod. Can.
 cap. 93.

GLORIOSISSIMO imperatore Honorio Augusto sex-
 tum consule, XVI. Kalendas Iulias, Carthagine, in
 basilica regionis secundæ. In hoc Concilio legationem sus-
 ceperunt Theasius & Euodius contra Donatistas, in quo
 Concilio insertum est commonitorium, quod ita in se
 continet:

L X.

Commonitorium fratribus Theasio & Euo-
 dio legatis ex Carthaginensi Cōcilio ad gloriosissi-
 mos religiosissimosque principes missis. Cum Do-
 mini auxilio piissimos imperatores adierint, eis in-
 sinuent, quemadmodum plena fiducia, secundum
 superioris anni Concilium, Donatistarum præpo-
 siti actis municipalibus sunt conuenti, ut si confide-
 rent de assertionibus suis, electis ex suo numero a-
 liquibus idoneis, nobiscum pacifice conferrent,
 & mansuetudine Christiana, si quid veritatis tene-
 rent, non ambigerent demonstrare, quo ita sinceritas
 catholica, quæ iampridem superioribus tem-
 poribus claruit, nunc quoque per imperitiam vel
 pertinaciam resistantibus innotesceret: sed quia
 dissidentia premebantur, nihil pene ausi sunt re-
 spondere. Vnde quia impletum est erga nos episco-
 pale ac pacificum officium, & illi, qui veritati re-
 spondere nequiverunt, ad immanes violentias sunt
 conuersi, ita ut multos episcopos, multosque cleri-
 cos (ut de laicis taceamus) insidiis oppresserint,
 ecclesias etiam aliquas inuaserint, aliquas inuadere
 pertentauerint; ipsorum iam clementiæ est consu-
 lere ut ecclesia catholica, quæ eos religioso vtero

ANNO
CHRISTI
424.

genuit, & fidei firmitate nutriuit, eorum etiam
 prospectione muniatur, ne temerarii homines reli-
 giosis temporibus, infirmos populos terrendo,
 præualeant, quoniam seducendo deprauare non
 possunt. Nota est enim, & sæpe legibus conclamata
 Circumcellionum, qua furiunt, detestabilis ma-
 nus, quæ etiam ipsorum religiosissimorum supra
 principum frequentibus sanctionibus condemna-
 ta est, aduersus quorum furorem possemus non in-
 solita, nec a scripturis sanctis aliena impetrare * sub-
 sidia, quando apostolus Paulus (sicut in apostolorū
 Actibus fidelibus notum est) factiosorum conspi-
 rationem militari etiam submouit auxilio. Sed nos
 illud poscimus, vt catholicis ecclesiis ordinum per
 ciuitates singulas, & vicinorum quorumque pos-
 sessorum per diuersa loca, sine vlla dissimulatione
 tuitio præbeat. Simul etiam petendum, vt il-
 lam legem, quæ a religiosæ memoriæ eorum pa-
 tre Theodosio de auri libris decem in ordina-
 tores vel ordinatos hæreticos, seu etiam in pos-
 sessores (vbi eorum congregatio deprehenditur)
 promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiant,
 vt in eos valeat, contra quos propter eorum insi-
 dias catholici prouocati contestationem deposue-
 runt, vt hoc saltem terrore a schismatica vel hære-
 tica prauitate desistant, qui consideratione æterni
 supplicii emendari corrigique dissimulant. Peten-
 dum etiam, vt lex, quæ hæreticis vel ex donationi-
 bus, vel ex testamentis aliquid capiendi vel relin-
 quendi denegat facultatem, ab eorum quoque
 pietate hætenus repetatur, vt eis relinquendi vel

Act. 23.

Lex Theo-
dosii senio-
ris in hære-
ticos.

sumendi ius adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseuerare voluerint. Ceterum illis qui consideratione vnitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto huius legis, capiendæ hereditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis vel hereditatis obuenit; his sane exceptis qui lite pulsati, putauerint ad catholicam transeundum: quia de talibus credibile est, non metu cælestis iudicii potius, quam terreni commodi auiditate, vnitatem catholicam præoptasse. Ad hæc autem omnia præsidio opus est potestatum suarum quarumcumque prouinciarum. Sane pro vtilitatibus ecclesiæ, quidquid intellexerint prodesse, agendi & impetrandi liberam decernimus legationem. Illud præterea cunctis nobis placuit, vt literæ de cœtu nostro ad gloriosissimos imperatores & eminentissimas potestates dirigantur, quibus instruantur, nostro omnium consensu ab beatissimum comitatum legatos a nobis esse directos. Sed quia iisdem literis ab omnibus subscribi tardissimum est, si singulorum subscriptionibus eadem epistolæ onerentur, petimus frater Aureli, vt iisdem tua caritas nostro omnium nomine subscribere dignetur. Et subscripserunt: Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis huic Decreto consensi & subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt. Literæ etiam ad iudices mittendæ sunt, vt, donec Dominus legatos ad nos redire permittat, tutiones per ordines ciuitatum & possessores prædiorum, ecclesiæ catholicæ impertiant. Adiungendum etiam

ANNO
CHRISTI
424.

de Equitio, vt improbitas eius, qua sibi ius sacerdotale improbissime vendicat, ab Hipponensi Diarhytorum dicecesi secundum statuta imperatorum repellatur. Literæ etiam ad episcopū Romanæ ecclesiæ cum commendatione legatorum mittendæ sunt, vel ad alios, vbi fuerit imperator. Et subscripserunt. Item Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis huic Decreto consensit, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt.

*IN HAC SYNODO QUAE STATUTA SVNT
breuis declarat adnexus.*

STILICONE iterum & Arthemio viris clarissimis consulibus, x. Kalendas Septembris, Carthagine in basilica regionis secundæ.

Huius Concilii gesta ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quam aliqua generalia constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum, eiusdem Concilii breuem digessi.

De hac Synodo Carthaginensi, vide quæ diximus supra in notis Concilii Africani III. sub Innocentio, anno Christi 405.

LXI.

Vt libera legatio ab omnibus prouinciis ad Concilium dirigatur, ad Myzonium legati & literæ, propter liberam dirigendam legationem, destinari præcepti sunt: vt quia apud Carthaginem tantum vnitas facta est, dentur etiam literæ ad iudices, vt & in aliis prouinciis & ciuitatibus operam impendi iubeant vnitati, vt gratiarum actiones de Carthaginensi ecclesia pro vniuersa Africa, de exclusione Donatistarum, cum episcoporum literis ad comitatum mittantur. Recitatæ sunt literæ papæ Innocentii, vt episcopi ad transmarina pergere facile non debeant, quod hoc ipsum episcoporum sententiis confirmatur, vt propter gratiarum actio-

Cod. Can. cap. 94.